



Pr

n no

P
anct
egn
n co
uot
itte
os
t n
ed

ini
bus
ui

# Preces quotidianae.

**n nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.**

**Pater noster,** qui es in coelis: anctificetur nomen tuum: adveniat egnum tuum; fiat voluntas tua, sicut n coelo, et in terra. Panem nostrum uotidianum da nobis hodie: et dinitte nobis debita nostra, sicut et os dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: ed libera nos a malo. Amen.

**Ave Maria,** gratia plena: Doninus tecum: benedicta tu in mulierous, et benedictus fructus ventris ui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei,

ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

**Credo in Deum,** Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

---

## Praecepta Decalogi.

1. Non habebis deos alienos coram me.

2. Non assumes nomen Domini tui in vanum.
3. Memento, ut diem Sabbati sanctifices.
4. Honora patrem tuum et matrem tuam.
5. Non occides.
6. Non moechaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Nec omnia quae illius sunt.

---

## Praecepta Ecclesiae.

1. Statutos Ecclesiae festos dies celebrato.
2. Sacrum Missae officium diebus festis reverenter audito.
3. Indicta certis diebus jejunia, et

a quibusdam cibis abstinentiam observato.

4. Peccata tua sacerdoti singulis annis confitetor.

5. Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idque circa festum Paschae, sumito.

**Actus Fidei.** Firma fide credo te Deum esse, Unum in essentia, Trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor quae Symbolo Apostolorum continentur, et omnia et singula, quae sancta Ecclesia Romano-Catholica mihi credenda proponit; quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

**Actus Spei.** Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Jesu Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, post hac vitam aeternam in beatifica tui possessione; quia tu, Deus meus, omnipotens es, et infinite bonus erga nos, ac fidelis in promissis.

Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adjutor meus; sperabo in eum, non confundar in aeternum. Ps. 17. v. 3.

**Actus amoris.** Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde: amo te propter te, et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita, et ideo dignus, ut ameris ab omnibus: ament te omnes homines! Utinam ego te, Deus, plus amarem!

Vere me poenitet, quod unquam te offenderim: jam statuo servare omnia mandata tua.

**Actus doloris.** Domine Deus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te, summum bonum, super omnia dilectum, offendi; detestor ea, quia tibi displicent: propono firmiter non peccare de caetero! et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum, potius vitam et omnia amittere quam peccatum admittere; statuo etiam peccata mea quam primum confiteri, et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera. Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Ps. 50.

Indulgentiae septem annorum et septem quadragenarum, quotiescunque eos actus his vel aliis verbis recitaveris. — Indul-

gentiae plenariae semel singulis mensibus, die, quem optaverint, lucrandae ab iis, qui quotidie iis actibus per mensem recitatis, confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiae fines oraverint. — Indulgentiae plenariae in articulo mortis, si tum eos actus devoto et corde contrito, atque, si id fieri possit, post confessionem sacramentalem et sacram communionem recitaveris. Applicari queant animabus in Purgatorio detentis.

Benedictus XIV.

**Angelus Domini** nuntiavit Mariae.
Et concepit de Spiritu Sancto.
Ave Maria.

Ecce ancilla Domini.
Fiat mihi secundum verbum tuum.
Ave Maria.

Et Verbum caro factum est.
Et habitavit in nobis.
Ave Maria.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
Ut digni effiiciamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

**Regina coeli,** laetare, alleluja,
Quia quem meruisti portare, alleluja,
Resurrexit sicut dixit, alleluja:
Ora pro nobis Deum, alleluja.
Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluja.
Quia surrexit Dominus vere, alieluja.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta, quaesumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentiae centum dierum, quotiescunque recitaveris. — Indulgentiae plenariae semel singulis mensibus lucrandae ab iis, qui, saltem semel singulis diebus ea oratione per mensem ad sonitum campanae recitata, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiae fines oraverint. Observandum semper flexis genibus recitandum esse, excepta die Sabbati a meridie et tota die dominica. In Coena Domini et die Parassceves non recitatur. Sabbato Sancto a meridie et toto tempore Paschali (usque ad primos Vesperos Festi Sanctissimae Trinitatis) dicitur stando Regina coeli.

Pro iis, qui vesperi, ad campanae sonitum, hora una post Angelus, genuflexi devote eum Psalmum cum precibus recitaverint, indulgentiae centum dierum. — Indulgentiae plenariae semel singulis annis, die quo voluerint, lucrandae ab iis, qui, quotidie eo Psalmo sic recitato, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos fines Ecclesiae oraverint.

**De profundis** clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel; ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

A porta inferi

Erue Domine animas eorum.

Requiescant in pace.

Amen.

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace.

Amen.

---

## Rosarium.

Integrum Rosarium quindecim constat decadibus. Hoc autem pietatis officium inchoatur ad crucem a Credo; ad majora grana Pater noster; ad minora, Ave

Maria; ante Orationem Dominicam dici potest: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Rosarium dividitur in tres partes, quarum prima vocatur Rosarium gaudiosum, secunda dolorosum, tertia gloriosum. Ad singula minora grana quinque decadum expendi possunt totidem mysteria, insertis post nomen Jesus sequentibus verbis:

I. Pro rosario gaudioso.

| | | |
|---|---|---|
| In 1. | Decade. | Quem virgo concepisti. |
| In 2. | ,, | Quem visitando Elisabeth portasti. |
| In 3. | ,, | Quem virgo genuisti. |
| In 4. | ,, | Quem in Templo praesentasti. |
| In 5. | ,, | Quem in Templo invenisti. |

II. Pro rosario doloroso.

| | | |
|---|---|---|
| In 1. | Decade. | Qui pro nobis sanguinem sudavit. |

In 2. ,, Qui pro nobis flagellatus est.
In 3. ,, Qui pro nobis spinis coronatus est.
In 4. ,, Qui pro nobis crucem bajulavit.
In 5. ,, Qui pro nobis crucifixus est.

III. Pro rosario glorioso.

In 1. Decade. Qui resurrexit a mortuis.
In 2. ,, Qui in coelum ascendit.
In 3. ,, Qui Spiritum Sanctum misit.
In 4. ,, Qui te in coelum assumpsit.
In 5. ,, Qui te in coelis coronavit.

Indulgentiae centum dierum pro quolibet Pater et Ave, quotiescunque vel integrum Rosarium quindecim decadum,

vel saltem tertiam ejus partem recitaveris. — Indulgentiae plenariae semel singulis annis lucrandae die, quo volueris, si quotidie saltem quinque decades recitare fueris solitus, et si confessus et sacra communione refectus pro Ecclesiae necessitatibus oraveris. Ut autem has indulgentias lucrari valeas, duo necessario requiruntur, puta, ut Rosario quo uteris, eae indulgentiae annexae sint a sacerdote eam facultatem habente ; tum etiam ut ad unamquamque decadem unum e quindecim mysteriis pie et attente consideretur eo ordine quo indicavimus.

---

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor Deus, ,, ,,
Spiritus sancte Deus, ,, ,,
Sancta Trinitas unus Deus, ,, ,,
Sancta Maria, *)
Sancta Dei Genitrix,

*) ora pro nobis.

Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,

Ora pro nobis

Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe concepta,
Regina sanctissimi Rosarii,

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Defende, quaesumus, Domine, beata Maria Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ora pro nobis beatissime Joseph,
Ut digni efflciamur promissionibus Christi.

Oremus. Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine,

meritis adjuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Indulgentiae 300 dierum, quotiescunque eas Litanias devote et corde contrito recitaveris. — Indulgentiae plenariae in quinque praecipuis B. M. V. festis, hoc est, Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, lucrandae ab iis, qui eas Litanias, nullo die intermisso, quotidie recitant. Necesse autem, ut in diebus festis supra notatis confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiae fines in templo publico orent. Hae indulgentiae applicari queant animabus in Purgatorio detentis.

---

## Preces matutinae.

Pater noster. Ave Maria. Credo. Praecepta Decalogi. Praecepta Ecclesiae. Actus fidei, spei, amoris, doloris.

Poterunt preces tempore, quod in-

tuendis vestibus et lavandis facie ac manibus impendis, dici. Deinde flexis genibus precare:

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus, quaecunque hodie cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi.

Nunc pergas ad Ecclesiam ad audiendam S. Missam. In Ecclesia devote genuflexus ores:

Ave, verum Corpus, natum
Ex Maria Virgine,
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,
Cujus latus perforatum
Vero fluxit sanguine.
Esto nobis praegustatum,
Mortis in examine.
O clemens, o pie,
O dulcis Jesu, Fili Mariae.

Deinde recites Rosarium. A Dominica I. Adventus gaudiosum. A Dominica Septuagesimae dolorosum. A Sabbato S. gloriosum. Post recitationem Rosarii sequantur Litaniae B. M. V. Ad elevationem interrumpas:

**Adoro te devote,** latens Deitas
Quae sub his figuris vere latitas
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.

Ave Jesu, pastor fidelium,
Adauge fidem omnium in te credentium.

---

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo Veritatis verius.
Ave Jesu etc.

---

(Ad S. Communionem iterum interrumpe dicens:)

Domine, non sum dignus, ut in-

tres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Inveni quem diligit anima mea.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis dignus datur.

---

Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Ave Jesu etc.

---

Omnibus diebus parvum momentum impende adorationi SS. Sacramenti in Ecclesia remota et elige orationem unam vel alteram ex praecedentibus.

Preces vespertinas nunquam omittas: Pater noster; Ave Maria, Credo. Praecepta Decalogi et Ecclesiae lente recites, dum conscientiam discutis. Deinde actus fidei, spei, amoris, doloris recites, atque litanias B. M. V. Post haec:

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos, dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna.

Sancte Joseph, sancte Patrone Baptismatis — et Confirmationis — et omnes Sancti Dei intercedite pro me.

---

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.

---

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

O Domina nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repraesenta.

Cor divinum Jesu et cor immaculatum Mariae semper et ubique laudentur.

Cum permissione Ordin. Ep.
Ratisbonensis.

Ratisbonae.
Typis Jos. Habbel. 1893.

